

No. 176. 1288. 15. Sept.

*Der Probst Leo und der Convent verkaufen an das Kloster zu Riesa Getreidezinsen in dortiger Gegend und übernehmen an Zahlungsstatt Zinsen in Brockwitz.*

In nomine domini amen. Nos Leo dei gratia praepositus, G. prior totusque conventus canonicorum regularium ecclesiae sanctae Aefrae in Misna omnibus praesens scriptum intuentibus salutem et sinceram in domino karitatem. Omnium habere memoriam et rem gestam perhenniter memoriae commendare potius divinitatis quam humanitatis existit, et ideo ne oblivioni tradantur, scripti patrocínio confirmantur. Huius rei gratia ad notitiam praesentium et memoriam futurorum notum facimus universis et praesenti pagina protestamur, quod nos de communi voluntate pariter et consensu honorabili domino C. praeposito et conventui sanctimonialium monasterii in Rizowe ad sustentationem ipsarum vendidimus decimam ad ecclesiam nostram pleno iure pertinentem, sexaginta et sex scoccos utriusque annonae, triginta et tres scoccos siliginis et triginta tres avenae; scilicet in Grobe<sup>a)</sup> duas sexagenas siliginis et duas avenae, Coclentz<sup>b)</sup> quartam dimidiam siliginis et tantum avenae, Canitz<sup>c)</sup> et Weduitz<sup>d)</sup> tredecim sexagenas siliginis et dimidiam et tantum avenae; Rederowe<sup>e)</sup> quartam dimidiam sexagenam siliginis et tantum avenae, Pobrese<sup>f)</sup> decem sexagenas et dimidiam siliginis et tantum avenae pro triginta et tribus marcis albi et legalis argenti Misnensi pondere ponderatis, ita ut dicta decima a nobis ecclesiae in Rizowe liberaliter resignata cum omni proprietate iure et utilitate ad dictam ecclesiam Rizowe singulis annis perpetuo transeat profutura. Dictam autem pecuniam dedimus pro quatuor marcis census et tribus malderatis avenae in villa quae vocatur Broctitz, qui census nostrae ecclesiae magis erit utilis, quam fuerit decima memorata. Et ita recognoscimus dictam pecuniam plene et utiliter conversam esse in nostrae ecclesiae utilitatem. Et ne alicui super dicta venditione dubietas oriatur, praesentem paginam in memoriam rei desuper fecimus conscribi capituli nostri sigilli munimine roboratam. Testes huius rei sunt dominus Th. praepositus de Budesin, dominus C. custos dictus de Boruz, magister Th. officialis domini Ber. maioris praepositi, canonici ecclesiae Misnensis, dom. Albertus, dom. Wernerus de Ertmarsdorph, dom. Johannes de Wildenhayn, dom. Adam ecclesiae nostrae sacerdotes, Petrus et Vlricus diaconi, dom. H. plebanus in Hayn, dom. Rudegherus de Cythene, dom. Johannes de Warta sacerdotes; milites dominus Schibanus et dom. Th. de Promnitz, dom. Thimo de Woynitz, Otto de Bychin et alii quam plures fide digni. Actum et datum Misnae anno domini M°.CC°.LXXX°.VIII° in octava nativitatis beatae virginis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel an violettseidenen Fäden.

a) Gröba b. Riesa, Eph. Grossenhain. b) Gohlis b. Strehla, Eph. Grossenhain. c) Canitz, Eph. Oschatz. d) Wade- witz, Par. Borna. e) Röderau, Par. Zeithain. f) Bobersen, Par. Gröba.